



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Patrinus quid sit. tit. 71

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## PATRINVS QVID SIT.

## TITVLVS LXXI.

**P**RIA notantur: Primò, quid sit Patrinus: Secundò, cur exigitur in sacramentis duobus, baptismo, & non alijs: Tertio, qui sunt fructus.

Primò, patrinus est sponsor & fideiusor, corà Deo infantis, quando portat ad baptismum seu ad confirmationē ad seruādum, quod Deo vouit in baptismo: sicut Anna sterilis vxor Helcanæ vouit p̄ filio suo Samuel, qui fuit Propheta sanctus, 1. Reg. 1. & sic votum matris, etiam filius diligentissimè obseruauit. Sic Paulus obligat se Philemoni pro seruo Onesimo, &c. Sic olim in vsu fuisse scribit Dionysius cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, q̄ cupiens baptizari, elegit primò virum prestantem qui cum in fide doceret: Secundò, ad sacerdotem duceret, & pro eo oraret: & sic faciens, dictus est patrinus, id est, compater, quasi spiritualis pater, loquens & vouens pro filio, quem fert ad baptismum.

Secundo, ideo exiguntur patrini. Nam sacerdos & Episcopus sine præua confessione, quod quis credat in Christum &c. non potest baptizare vel confirmare: ideo prima questio est, an credat in Christum baptizandus, iuxta illud Marc vlti. Qui crediderit &c. Sed cum pueri adhuc ratione carentes, loqui & confiteri fidem non possunt, sicut nec muti vel surdi, &c. ideo opus est vt habeant aduocatum & fidei ussorem, qui hoc loco ipsorum faciat. Sed inquires: Quomodo potest alius pro me vouere & credere? si dicit patrinus, abrenuncio Sathanæ, hoc solum pro tua persona dicit. Non ergo prodest pro alio facere, quia patrinus nescit voluntatem futuram pueri. Respondeo, Patrinus non credit pro puero, sed sua fide orat & impetrat puero propriam fidem, & pro tanto

aliena fides prodest, vt etiam propria detur. Sine fide propria impossibile est placere Deo, Hebræor. 11. Sic fides viduæ Luc. 7. impetrat vitam filio mortuo: sic fides aliena paralytico Matth. nono, & fides principis synagogæ filiæ mortuæ, Matth. 9. sic fides patris impetrat fidem cum Ecclesia baptizato. At dices: Patrini nescit, qualis sit futurus puer, ergo non debet respondere pro illo. Respondeo: & tu nescis an futurus sit fidem necne, attamen voues in baptismo &cæt. Totum hoc fit in spe misericordiæ diuinæ, qui dedit fidem, quoque donaturus sit constantiam Philipp. 1. Charitas omnia sperat, 1. Cor. 13.

Admonere tamen tenentur sedulo patrini, qui leuârunt & portarunt ad baptismum & confirmationem, vt satisfaciant promissioni pro illis factæ maximè si viderint eos declinare à catholica fide Ecclesia, &cæt. si noluerint obedire, peccatum recidat in illos, sicut Christus dixit Iudæ Matt. 26. Amice, ad quid venisti?

Tertiò, fructus est, oratio patrinorum, vt confirmentur in fide Christi, baptizati & confirmati, vt dicitur sanctus in robur contra pugnam sathanæ datur, etsi hoc tota Ecclesia in oratione Dominica committit vt fides in nomine Domini sanctificetur & augmentetur, & ne induci permittamur in têtationem, Marc. 6. & in collecta, Da nobis fidei, spei atque charitatis augmentum: & Apostoli petierunt sibi adaugerent fidem, Luc. 17. propriè tamen hic charitas patrinorum orat pro pueris &cæt. & efficacius impetrat &c. Prodest igitur fides aliena, & à Deo etiam acceptatur.

*QVI CREDIDERIT ET BAPTIZATUS FUERIT, Marc. ult.*  
TITVLVS LXXII.